

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

Valiero, Agostino

Coloniae, 1582

Pauca quædam de memoria, & dignitate Ecclesiastici oratoris. Cap. LIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](#)

Pauca quædam de memoria, & dignitate Ecclesiastici oratoris.

Cap. LIX.

IAM verò memoriam admodum necessariam oratori Ecclesiastico dixerimus: & quamvis magnum illud donum, naturæ, immò potius Deo, acceptū referendum est; cōseruatur tamen et augetur exercitatione, ac meditatione; et incredibiliter ordine crescit stylū esse optimum artificem dicendi cùm nemo ignoret; utilissimum erit, si que dicturus est Ecclesiasticus orator, antè conscribat: caueat tamen, nè verborum suorum se seruum cōstituat, & nè ex scripto recitans, interdùm hæreat. Quod et si magnis etiam oratoribus nonnunquām legimus contigisse, est tamen valdè fugiendum, quia minueret oratoris Ecclesiastici dignitatē, quæ eatenūs est magni facienda, quatenūs sine ea vix potest animas Christo lucrari. multum etiam confert ad dicendum oratoris dignitas, quæ in vultūs, vocis, habitūs moderatione consistit. Et quia iam de actione quædam attigimus, cùm de ineptijs loqueremur, nihil de ea præterea dicemus. Monemus tantum hoc loco clericos, vt decentibus vestibus vtantur; nimiam elegantiam, sordes etiam, fugiant. cùm autem celebrent, & personam Christi agentes, sacrificium offerent pro peccatis suis & populorum; preciosioribus & eleganteribus, quām possint, indumentis vtantur: &, vt decet Apostolicos viros, grauitatem in dicendo adhibeant; nec populo, multò minus sibi, soli autē Deo, placere studeant, qui Ecclesiastica & Rhetorica & omnium laudabilium artium finis debet esse propositus.

L A V S D E O.

Q. 2